

Significans illos mundo pereunte tegendos
Quos crucis invictæ signat cruor,

ut de eo canit S. Paulinus, natali VIII. S. Felicis. Sane etiam ipsis Ægyptiis gentilibus crux seu littera tau, salutis et vitæ venturæ signum erat, teste Nicephoro, l. XII. cap. XXVI. et Eusebio, l. XI. cap. XXVI. Sed tale signum erit in illa die, justis tantum. De his enim ait angelus ille ad mulieres: *Nolite timere vos; scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, queritis*, Matth. XXVIII. g. d. paveant hostes crucifixi: vos amici ejus confidite; exanimentur illi, vos resumite spiritum, quibus Christi crux vitam et salutem nuntiat. Et de hac optime intelligitur parabola ficus in hodierno evangelio: *Cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, sitis quia prope est æstas; ita et vos cum videritis hæc omnia*, (crucem scilicet, quæ antea deformis et despecta erat, gloriosam et in cælo virentem ac fulgentem) *scitote quia prope est in januis*, (salus nimirum vestra.)

Secundo, ut intelligant, cui gratiam et gloriam suam acceptam ferre debeant, cruci vide licet, tamquam fonti omnis gratiæ, a quo omnia eorum opera bona valorem et meritum suum acceperunt. Crucem igitur aspicient tunc velut clavem cæli unicam, per quam sibi ad paradisum aditus factus est: velut arcam Noe, in qua una et extra quam nulli salutem obtinuerunt. Quantum igitur lætabuntur justi, cum intuebun tur crucem! Quam exosculabuntur arborem illam vitæ, unde sibi fructum æternæ vitæ decerpserunt: felicius quam olim Adam ab arbore vetita!

Tertio, ut intelligant omnes, non per aliam quam per regiam crucis viam beatis eundum fuisse ad cælum: ut sic impii videant, quam merito justî præmientur, ipsi relinquuntur: et electi sibi gratulentur quod viam crucis elegerint et constanter tenuerint. Quemadmodum Assuerus ad se accedere volentibus protendebat virgam suam prius exosculandam in signum benevolentiae, ut patet ex lib. Esth. ita etiam Christus ad thronum gloriæ suæ neminem admittit, qui non prius crucem ejus modo aliquo degustarit. Erit igitur crux electis quasi igneus Eliæ currus, quo ad cælum evehentur. Quantum sibi gratulabuntur justî, quod hic in curru ægritudinis, paupertatis, contemptus, oppressionis, opprobrii, martyrii patienter sederint! Quod Christo in cruce confixi fuerint! Propterea S. Andreas crucem sibi paratam videns adeo lætabatur, aspiciebat enim illam non ut crucem, sed ut igneum Eliæ currum, in quo cælum jam conscensurus esset.

III. Ad terrorem reproborum. Ac primo, ad

ingratitude eis exprobandam, ut qui beneficium mortis Christi et ingentium cruciatuum in cruce exantlatorum, contempserint et conculcarint: crux enim illa ostendet mundo et reprobis pretium, quo redempti fuere; et quam frustra sit expensum pro eis. Hercules postquam extremos Hispaniæ fines peragrasset, duas ad Gaditanum mare columnas fixit cum hac inscriptione: *Non plus ultra*, quasi nemo adhuc eousque progressus esset. Ejusmodi columna erit crux in die illa, cui verissime congruit inscriptio illa: *Non plus ultra*, quia omnium contemptissimam mortem pro nobis pertulit Christus, et copiosissime nos redemit: unde Isaia, c. V. postquam dixisset vineam suam plantatam fuisse electam cum omnibus requisitis, subdit: *Nunc ergo habitatores Jerusalem et viri Juda judicate inter me et vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?*

Secundo, ad confusionem impiorum, et inimicorum crucis, qui hic crucem contempserunt, ejusque sectatores deriserunt, ac potius ventrem suum, aurum, honores et voluptates coluerunt. His enim tunc dicetur id Deuter. XXXII. *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.* Sed nullibi videbunt, quos hic sibi elegerant deos: non aurum, non sceptrum, non amicos, non vina in vitro splendentia: videbunt vero crucem, quam spreverunt, inter astra imo præ omnibus astris rutilantem. Quid tunc dicent perfidi Judæi, quibus crux est scandalum, cum videbunt eam radiare super solem? Sane cum aliquando in ipsorum vestibibus cruces impressæ divinitus apparerent, (quando videlicet concedente Juliano imper. templum restaurare voluerunt) vehementer eo spectaculo percussi fuerunt, et maxima contentione eas eluere conabantur, licet irritò conatu, ut refert Nicephorus, l. X. c. XXXIII. Quomodo igitur ferent in oculis suis crucem illam micantem ab ortu usque ad occasum? Quid dicent impii gentiles et tyranni, quibus crux stultitia erat, crucis oppressores? Quid dicet Julianus apostata, qui cruces terra obruebat, pingi in ædibus vetabat, de propria fronte, in qua olim Christianus consignatus in baptismo et confirmatione erat, sanguine idolothyto eluere conabatur? Nimirum quemadmodum moriens in prælio hasta percussus, sanguinem proprium ad cælum jactans clamabat contra Christum: *Vicisti Galilæe, vicisti*, ut refert Theodoretus, l. III. cap. XX. ita etiam tunc invitus licet et furens cruci palmam cedet. Quid dicent mali Christiani, qui licet cruci nomen dederint, ea consignati fuerint, et sub ea milita-

CONCIO VIII.

ECCLESIA CATHOLICA VERA ESSE DEMONSTRATUR EX
QUATUOR EJUS NOTIS.

I. Vera et catholica Ecclesia est una: 1. Quia unanimi consensu eadem credit. 2. Quia uniformis et constantis in doctrina. 3. Quia unam et certam credendæ regulam habet: non reperitur hæc unitas apud hæreticos, non prima, nec secunda, nec tertia. — II. Sancta: 1. Quia sanctitatem vitæ docet et requirit, non item hæreses nostræ. 2. Quia peccata et vitia impugnat, non hæresis. 3. Quia habuit semper sanctos. — III. Catholica: 1. Quia semper sic appellata. 2. Quia per omnem orbem diffusa. 3. Quia ad eam solam gentium conversio facta. — IV. Apostolica: 1. Quia ab apostolorum tempore ad nos derivata. 2. Quia potestatem ecclesiasticam habet ab apostolis sibi traditam. 3. Quia ordinatam et continuatam successionem habet pontificum.

THEMA.

Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Matth. XXIV.

Nimis certe verum esse experimur nostræ ætate, quod Dominus hic prædixit: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Tanta enim hæresum et hæreticorum hodie est multitudo et varietas, tam densæ per eos orbi terrarum tenebræ sunt of fusæ, ut mirum non foret, si in errorem inducerentur etiam electi, cæcutirent etiam litterati, trepidarent ac dubitarent, qui in petra fundati sunt. Si enim in orientem oculos conjicimus quot ibi pagani, Turcæ, Judæi, Græci, schismatici et hæretici, Jacobitæ, Nestoriani? Si ad meridiem, Africam universam replerunt infideles Mauri et Æthiopes: si ad septentrionem, ibi hæresis Ariana, Sabelliana, Lutherana, Græca Anabaptistarum, Hussitarum: si ad occidentem ibi Hugonotæ, Calvinistæ, Lutherani, Zwingliani qui spatio quinquaginta annorum totam ferreplevere Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Hiberniam. Quorum signa et prodigia annon magna sunt, seductio tot principum nationum, bella, cædes, templorum eversiones sacrorum direptiones? Omnes illi dicunt: *Ecce hic est Christus*, apud nos: *Ecce illic*, apud nos est vera religio. In tantis ergo tenebris, auditores, Salvatoris nostri consilium fortiter tenendum est: *Nolite credere* (novatoribus), *nolite exiri* (ab Ecclesia catholica ad sectas acatholicas. Atque ut in hac, qua fundati sumus, fide catholica solidemur et firmemur, adeoque iis, qui contradicunt, respondere possimus, fidem et

rint, interim tamen eam erubuerunt, et pro ignominia habuerunt: præ ea ventrem, aurum et argentum, voluptates et honores sectati sunt? Nimirum idem quod impii illi Sap. V. *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Videbunt enim tunc, quod in hac vita credere noluerunt, crucem Christi suave jugum, et facile Deo servire fuisse, ac dicent: Nonne videbamus pios tranquilla mente Deo servire et majori cum commodo, quam nos serviremus mundo?

Tertio, ad majorem reproborum punitionem. Videbunt enim crucem jam non amplius sibi utilem aut salutarem: sed prorsus inutilem, imo molestam, quia salutem in ea dum possent, non quesierunt: atque ita crux, quæ illis prius instrumentum salutis esse poterat ac debebat, transibit eis in instrumentum supplicii: et arbor, quæ eis rosas prius offerebat, exhibebit spinas. Est sane nunc crux, arbor plena salutis. In ea Christus, salus nostra, extendit ad nos manus, ut nos amplectatur: in ea inclinatur caput, ut nos osculetur, et petitionibus annuat: in ea distillat balsamum sanguinis sui, ut vulnera nostra curet: et in ea pectus suum patulum nobis offert, ut nos in visceribus suis condatur, et ab ira ventura abscondatur: juxta eam Virgo sanctissima et Mater ejus, ut pro nobis advocet. Sed in die illa nihil horum amplius in cruce reperietur. Ubi tunc Deipara? Ubi apertum latus? Ubi sanguis? Ubi caput inclinatum? Ubi brachia amplexantia? Ubi Christus? Audi Oseam, c. V. *Vadent ad querendum Dominum, et non invenient: ablatus est ab eis. O verbum asperum!* Non ergo jam feret rosam, sed præterea etiam spinas et tribulos germinabit eis, partim eo ipso quo recordabuntur se tam multas occasiones a cruce oblatas neglexisse: partim quia propterea majorem damnationem sibi paratam intelligent. Ita enim ratiocinantur: si tam durum et acerbum fuit remedium, quo redempti sumus a gehenna: quid erit gehenna ipsa? Et: *Si in viridi ligno*, id est, innocente Christo tanta facta sunt, *quid fiet in arido*, id est, nocente servo? Et si gravis erat gehennæ pœna, a qua tam caro redempti sumus: nonne gravior erit illa, in quam nos sursum, post redemptionem, temere præcipitavimus?

Itaque ut hoc malum vitemus, præmonet hodie nos Christus, ad instar patris, qui virgam facit in conspectu filiorum, eamque immergit caldario, quo eos terreat et cogat ad disciplinam.

religionem nostram veram esse ostendemus eamque solam, ex quatuor maxime Ecclesiae verae notis et signis.

Ibi non dubium est Christum esse, ubi est vera Ecclesia, et ibi veram Ecclesiam, ubi vera fides. Unde si ostenderimus Ecclesiam catholicam, habere veram fidem adeoque esse veram Ecclesiam, habebimus et Christum. Ecclesiae verae notae quatuor colliguntur ex symbolo apostolico, et expresse ponuntur in Nicæno: *Credo in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.*

I. Vera Ecclesia una est, sola nostra una est, ergo vera. Majorem deducit ex Cant. VI. S. Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiae, ubi dicitur: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae*: et clare exprimitur ad Eph. IV. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Haec unitatem significavit inconsutilis Christi tunica, Joan. XIX. quam non sine mysterio noluerunt scindere milites: ut sic monerentur alii non scindendam esse dissensionibus fidei Ecclesiam. Jam autem uti in ejusmodi tunica omnia fila necessaria et intrinseca quodammodo connexionione sibi cohaerent: ita et membra Ecclesiae unum corpus efficiunt. Primo, quia unanimi consensu eadem fidei dogmata tenent, credunt, scribunt, docent, Graeci, Afri, Galli, Itali, Germani, Angli, etc. tot saepe regnis, maris et terrarum spatiis divisi: tot etiam Concilia passim habita, non modo non sibi contradicunt, sed mutuo se confirmant, et mirabili connexionione catenam firmissimam efficiunt, licet diversissimis locis, temporibus et patribus habita, ita ut hactenus adversarii nostri nullam in dogmatibus nostris pugnantem sententiam ostendere potuerint, nisi forte quas ipsi frivole et insulse confinxerunt. Lege Graecum, et confer cum Hispano, vel Anglico, vel Germano catholico aliisque: omnes fatentur liberum arbitrium, recipiunt missam, bona opera, confessionem, vota monastica, jejunium quadragesimale, festa, reliquias, sanctorum venerationem, etc. Neque hoc negare possunt, vel negant haeretici nostri: sed solum id asserunt, patres sanctos in multis nimis superstitiosos et humanis traditionibus deditos fuisse: quasi vero isti nuper nati et terrae posterius melius rem intelligerent, quam veterani illi patres.

Secundo, una est, quia uniformis et constans semper in doctrina fuit, nec aliud modo docet, quam olim docuerit; nullum enim fidei nostrae dogma ostendi potest novum, quod non ab antiquo traditum sit, et in Ecclesia olim vigerit, si enim potest, ostendatur a quibus et quando introductum sit. Ipsa igitur est, de qua Psalm.

LXXXVIII. dicitur: *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta, id est, semper eadem et stabilis erit Ecclesia, ut exponit ex Hebr. Bellarminus.*

Tertio, quia unam et certam habet credendi regulam, unanimem scilicet patrum consensum, et in dubiis summum pontificem et Concilium: quibus unitas fidei facile conservatur, credenda decernuntur, concertationes tolluntur, et appellationes compescuntur. Cum enim summus pontifex et Conciliorum patres universalem representent Ecclesiam, uti summa ejus capita, non dubium quin infallibilem habeant Dei assistentiam, ne Deus Ecclesiam suam errare patiatur: similiter etiam potestatem definiendi et tollendi controversias; alioquin Ecclesia miserius esset omnibus regnis et regiminibus; nullus foret litium finis, et necessario Ecclesia in mille partes scindenda foret. Nec putandum Christum soli Petro et non successoribus ejus, hanc potestatem dare voluisse, neque enim Ecclesiam instituere voluit, quae viginti aut triginta annis tantum permaneret.

Videamus nunc, utrum haec unitas sit apud haereticos nostros. Non prior, nam omnes eorum sectae in plures partes scissae sunt. Hussitarum alii Orebite, alii Adamite, alii orphani sunt, et dicuntur: Lutheranorum alii Confessionistae, alii Anabaptistae, alii Sacramentarii: alibi recipiunt missam, alibi explodunt: alibi duo sacramenta habent, alibi tria, etc. Calvinistarum alii Puritani, alii Protestantes dici volunt, non absque utriusque capitali dissensione. Summa, quot urbes haeticorum, tot fere dissensiones fidei: saepissime in eadem domo reperias, in qua aliud maritus, aliud uxor, aliud servi et ancillae credunt: nimirum Aegyptiorum instar in tenebris constituti, in eadem domo se mutuo non agnoscunt. Nec secunda unitas apud ipsos, quis enim nescit, Lutherum sibi perpetuo contrarium fuisse? Tollit passim libertatem arbitrii, bona opera, jejunium, confessionem, praecipua, ridet missas, campanas, psalmodias, festos dies. Et tamen in libro de visitatione Saxonica haec omnia approbat, et contradicentes reprehendit. In qua re secuti sunt eum discipuli et scholae. Unde dicebat catholicus ille Saxoniae dux Georgius, se scire quidem, quid hoc anno crederent vicini sui Wittembergenses: quid vero proxime in sequenti anno credituri essent, se nescire, quod subinde dogmata sua variarent. Refert Stanisl. Hosius, in conf. cath. de fide et symb. c. XXV. Et quoties jam Augustinam, suam confessionem mutarunt Confessionistae, uti et ipsemet ejus artifex Melancthon? Nimirum ita evenire ne-

cesse est, cum a veritate receditur: uti enim viatoribus contingit, si quando a recto itinere deviarunt, ut magis et magis aliis et aliis semitis errent, quod nullum peritum itineris ducem sequantur; ita et ipsi carentes Ecclesia duce ex errore in errorem ducantur, necesse. Causa est defectus tertiae quoque unitatis, quia cum patrum consensum, pontificum et Conciliorum decreta rejiciant, et proprium tantum sequantur judicium, nullam stabilem habent credendi regulam. Tametsi enim verbum Dei omnes jactant, et regulam fidei suae dicunt, id tamen quisque prout ipse vult, intelligit et exponit, rejecta patrum expositione communi; quo fit, ut quot capita, tot sententiae sint, et quot sententiae, tot religiones: nulla vera, omnes falsae. Omnes enim haereses appellant ad Scripturam, et per eam confirmant dogmata sua licet diversissima: quare aut omnes verae sunt, quod impossibile; aut quod verissimum, omnes falsae. Annon tibi expressus istorum typus fuisse videtur colligatio illa vulpium, quas Samson colligavit? Cum enim inter se capitibus dissecti sint, caudis tamen nequitiae colligantur in catholicae Ecclesiae persecutionem.

II. Sancta, primo, ratione sanctitatis et puritatis vitae, quam docet et requirit, viam simul ad illam suis fidelibus parans. Vere enim religionis scopus praecipuus esse debet, ut animos hominum a terrenis ad caelestia bona avocet, desideranda et quaerenda: hoc autem praeter omnibus aliis facit catholica religio, hortatur enim ad virtutes, ad paupertatem, castitatem, vigiliam, jejunium, cilicia, etc. quibus caro subjiciatur spiritui, et perfectio acquiratur. Rursum ad consilia evangelica instigat: cujus hortatu tot millia in hodiernum valedicunt opibus, honoribus, voluptatibus, pompis, amicis, vovent religionem, sub variis regulis militant, et serviunt Deo, domant carnem, et stulti fiunt propter Christum: hoc reges faciunt, hoc duces, divites, sapientes, juvenes, senes, utriusque sexus. Quis affirmare ausit, mirabiles has mutationes non esse a dextera excelsi? Quis credat, non maxime placere Deo tot conatus ad innocentiam consequendam et vitam angelicam, ad Deo digne serviendum? Vel si non placerent, tanto tempore Deum haec tulisse? Jam vero haereses nostrae tantum abest, ut animos ad virtutem stimulent, a terrenis ad caelestia desideria avocent, ut potius vehementer impediunt: jejunia excludunt, castitatem damnant, vota irritant et improbant, matrimonia praecipiunt, consilia evangelica eliminant. Imo vias et adminicula sanctitatis prorsus praeccludunt, dum bona opera non modo

inutilia, verum etiam peccata esse dicunt, uti Lutherus, art. XXXI. et XXXVI. Calvinus, l. III. institut. cap. XII. et XIV. docuerunt: item nihil ea mereri; nec a Deo respici, etc. Quis, quaeso, his positis, virtutem amplectatur: quis bona opera non potius horreat quam peragat? Neque haec solum est eorum doctrina; sed et praxis. Nulla inter ipsos religio, nulla voluntaria paupertas, castitas, obedientia, nulla jejunia, quae tamen omnia Christus tantopere commendavit, tot clamoribus praedicavit, toties ad ea adhortatus est. Omnes fere opibus et voluptatibus inhiant: mundi laqueos nemo illorum efigere studet, aut possibile putat sine carne in carne vivere, quod antea tot sancti fecerunt. Frustra igitur Christus toties dixit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, etc.* item: *Vade, vende omnia, quae habes*: item: *Sunt eunuchi, etc.* Quis, quaeso, credat, Christum sanguine suo tam sterilem et inanem religionem plantare, tot adhortationibus excolere voluisse?

Secundo, ratione peccatorum et vitiorum, cum quibus perpetuo et armis omnibus pugnat, homines ab iis absterrendo et impediendo; ut enim religio, quae a Deo est, homines ad virtutem et perfectionem ducere, ita et a vitiis avocare debet. Hoc autem catholica religio facit: ipsa et non aliae, frænum imponit peccatis, idque variis, quibus potest, modis. Primo, retinendo et urgendo perpetuum et sedulum usum sacramenti poenitentiae, per quam peccata in mentem revocari, per lacrymas et contritionem deleri, per accuratam confessionem singulorum enuntiari cum proposito emendationis jubet: quae omnia magnum esse peccatorum frænum testati sunt Norimbergenses legatione sua ad Carolum V. qua restitui confessionem auriculari petierunt, ob populi perversionem, ut alias diximus ex Dom. Soto, in IV. Secundo, injungendo in satisfactionem pro exigentia rei severas poenitentias, privatas pro privatis, publicas pro publicis sceleribus, quae in sacris canonibus continentur: restitutionem praeterea bonorum injustorum et famae ablatae: injuriarum oblivionem: peccatorum expiationem per orationem, jejunium, elemosynam: novam vitam, etc. Tertio, docendo constanter quod unicum peccatum mortale sufficere possit homini ad aeternas poenas condemnando. Quarto, variis terroribus, minis et adhortationibus excitando, ut vigilemus, ad poenitentiam festinemus, et ab hoste maligno nobis caveamus, inculcando diem judicii, Dei severam justitiam, purgatorii austeritatem, ignis infernalis veritatem et aeternitatem, etc. Jam vero ubi, quaeso, haec vel similia

fræna apud hæreticos? Annon potius peccatis et sceleribus frænum omne laxant, dum confessionem auricularem expungunt, et hominum commentum dicunt? Dum aiunt, contritionem facere majorem peccatorem, ut Lutherus, artic. VI. asserit? Dum pœnitentiam negant esse secundum post naufragium, tabulam, ut Calvinus l. IV. institut. cap. XIX. Dum satisfactionem explodunt, imo meritis et satisfactioni Christi detrudere aiunt? Dum negant remanere pœnam culpa dimissa, ut Lutherus, epist. ad Waldenses; Calvinus, l. III. inst. c. V. Dum negant Christianos teneri ad servanda decem præcepta, ut Lutherus, de libert. christiana; Calvinus, l. III. instit. cap. IV. Dum ubique clamant sufficere sibi fidem; quam specialem vocant, et delere purgatorium atque infernum dicunt? Dum purgatorium negant? Dum verum inferni ignem, ut Calvinus, l. III. instit. c. XXV. Dum fideles omnes prædestinatos dicunt, Calvinus, l. III. instit. c. II. Dum libertatem arbitrii tollunt, ut Lutherus, in assert. art. XXXVI. et Calvinus, l. I. instit. c. XXVI. Dum impie asserunt peccata a Deo omnia præordinata esse, eo auctore et instigatore fieri, inclinante et dirigente hominem ad peccandum, ut Calvinus, l. I. instit. c. XVII. Lutherus, ubi sup. Quid hoc, quæso, aliud quam januas innumeras aperire sceleribus quibuscumque? Quid tam grave esse potest, quod non audebunt homines, si hæc ipsis prædicentur? Et hocceine est, quod ipsi sibi attribuunt, reformare religionem? Annon potius vastare et deformare, ac venenum hominibus propinare, quod faciunt sub prætextu speciali, illius fidei?

Tertio, ratione sanctorum, quia in ea omnibus sæculis fuerunt et vixerunt: quod certe non leve est veræ religionis indicium. Ut enim teste Domino, non potest arbor bona malos fructus facere, nec mala bonos: ita nec Ecclesia tot sanctos parere, nisi, vera sanctitas in ejus religione foret: item quia fides est fundamentum sanctitatis, vera autem sanctitas nequit inniti falso fundamento: rursum quia sine vera fide non potuissent sancti placere Deo: et quia falsa fides non divina, sed diabolica est; quid vero diabolo cum sanctitate. Atqui Ecclesia catholica talis est, quæ omni sæculo plurimos sanctos, qui ut plurimum papæ, episcopi, abbates, sacerdotes, monachi, eremitæ, moniales et ordinum fundatores fuere, adeoque extra controversiam Romanæ Ecclesiæ addicti, quos omnes aberrare et cæcutire in fide tot sæculis permisos esse incredibile est: præsertim in re gravissima, qualis est fides, unde sequeretur eos non modo non sanctos fuisse, sed et impios et idolo-

latras, utpote qui Christum in eucharistia adorarunt, missam coluerunt, papæ obedientiam præstiterunt, reliquias, imagines, sanctos venerati sunt, etc. Ubi sunt nunc sancti hæreticorum? Perquirant totum calendarium et nomen vel unum, quod quia nequeunt, nominabimus nos alibi eorum auctores spurcissimos.

III. Catholica, primo, quia vera Ecclesia semper hoc nomen obtinuit et retinuit, ut testatur D. Augustinus adversus epistolam fundamenti, c. IV. dicens: « Tenet (me in Ecclesia) ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sola obtinuit: » et idem, de vera religione, c. VII. ait: « Tenenda nobis est catholica religio et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica est et nominatur: non solum a suis, verum ab omnibus etiam inimicis. Velint enim nolint ipsi quoque hæretici et schismatum alumni, quando non cum suis sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam Romanam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hac eam voce discernant, quia ab universo orbe appellatur: » et S. Hieronym. in dial. adversus Luciferianos ait: « Si audieris, qui dicuntur Christi, non a Christo nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentianios, Montenses seu Campates scito non esse Ecclesiam Christi sed antichristi synagogam. » Quæ etsi patres isti ante 1200. annos scripserunt, verissima tamen usque in hodiernum. Qui enim quæso sunt, qui usque hodie catholici dicuntur ab ipsis etiam hæreticis, nisi qui Ecclesiæ Romanæ addicti sunt? Quærat aliquis ex puero in civitate imperiali, ubi catholicorum sit Ecclesia vel domus, statim indicabit eos qui Romanam sequuntur religionem: et hoc ipsi nomen sibi arrogare nunquam audent, præsertim quando cum extraneis loquuntur nec in libris quidem eorum: sed ut alii hæretici hæresiarcharum suorum vel aliis abstrusis nominibus indignantur, Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, Swenckfeldiani, Hussitæ, Protestantes, Evangelici, etc. quod Hieronymo teste certum est ad hæreticorum indicium. Et quomodo catholicos se nominare queant, qui vix unum alterumve angulum implent?

Secundo, igitur Ecclesiæ veræ indicium, catholicis est, quia sola ipsa catholica est, et per omnem orbem diffusa, reperitur in omnibus regnis, linguis, nationibus orbi cognitis: in quibus si modo non ita floret ut aliis religionibus præferatur, floruit tamen aliquando. Vade ad orientem, et invenes catholicos in Asia, Græcia, Palæstina, China, Japonia: ad meridiem, in Africa, Æthiopia, India, Hispaniis, America: ad occidentem in Italia, Gallia, Belgio: ad septentrio-

nem, in Polonia et vicinis terris, Bohemia, Germania. Unde merito S. August. tract. XI. in Joan. ait: « Quadripartita vestis Domini nostri Jesu Christi, quadripartitam figuravit ejus Ecclesiam, toto scilicet qua quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam et omnibus ejusdem partibus æqualiter, id est, concorditer distributam. » Non possunt omnes hæretici nec unquam potuerunt palliolum suum extendere in quatuor istas partes, cum omni suo conatu: sed in paucis terræ rimis militant. Conabantur Lutherani hæresin suam introducere in Græciam et alligere ad se eorum patriarcham: qui tamen eam doctrinam non modo non accepit, sed contrariam esse ss. patribus ostendit et ut hæreticam damnavit. Certe in Turcia, Persia, China, India, Japonia, Hispania, Italia, Africa, Tartaria, etc. nesciuntur Lutherani et Calvinistæ, cum tamen catholici ubique reperiantur et exercitia sua habeant. Sed nimirum hæretici nostri cum Donatistis de paucitate gloriantur, Christi Domini dignitati ejusque copiosæ redemptioni turpiter detrahentes cum scriptum sit, Prov. XIV. *In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis ignominia principis.* Audi Augustinum, tr. II. in epistolam Joannis: « Illi autem Donatistæ, inquit, sic honorant Christum, ut dicant illum remansisse ad duas linguas, Latinam, et Punicam, id est, Afram. Solas duas linguas tenet Christus? Istæ enim duæ linguæ solæ sunt in parte Donati, plus non habent. » Hæc ille. Ita nostro tempore Calviniana hæresis duas aut tres habet linguas; Lutherana vix plures quam Germanicam; Hussitica tantum Bohemicam, etc. et S. Bern. serm. LXVI. in Cant. contra sui temporis hæreticos ait: *Itane lapidem de monte abscissum (scil. Dan. II.) monte factum et implentem mundum, vestris creditis intrusam antris?*

Tertio, quia ad eam solam conversio gentium facta est, quod sæpius prædictum in Scripturis, Isa. II. et Mich. IV. de ea dicitur: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium et super colles elevabitur, et fluent ad eum omnes gentes.* Quod longa inductione ostendi potest, qua ratione scilicet ad omnes gentium nationes a Romana sede prædicatores missi sint, uti ad nos Germanos S. Bonifacius et alii (de quo alibi fuse) ad quorum doctrinam et prædicationem reges et principes se conformarunt et colla Romanæ Ecclesiæ humiliter subdiderunt, idola reliquerunt, plures uxores repudiarunt, ecclesias magnificentissimas ædificarunt et dotarunt, episcopatus et monasteria ditissima per totum orbem fundarunt. Annon hæc mutatio dexteræ Excelsi? Et quomodo quæso Deus tot

regna et populos seduci passus fuisset, si fides, quam susceperunt, vana fuisset? Proferant ipsi, quæ regna, qui populi gentilium conversi ad ipsos et per ipsos fuerint. Sed nimirum verissimum est quod Tertull. l. de præscript. ait: *Nunquam laborarunt hæretici, ut gentiles converterent, sed ut catholicos perverterent.* Id quod proxime elapsis centum annis egregie fecerunt: quod pro miraculo afferre nequeunt; siquidem facilis descensus Averni, et homines præsertim mundo et carni dediti facile libertatem quærunt et admittunt, quam hæretici nostri abunde concedunt.

IV. Apostolica, primo, quia debet esse antiquissima et ab apostolorum tempore ad nos usque sine interruptione derivata, juxta id Matth. X. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Si enim vel omnino recens esset, vel aliquando interisset, quomodo portæ inferi contra eam non prævaluissent? Unde indubium est, quod ait S. Hieronymus adversus Luciferianos: *In illa Ecclesia permanendum est, quæ ab apostolis fundata usque ad diem hanc durat.* Quæritur ergo, quænam est illa Ecclesia? Respondemus: Catholica. Evolvantur antiquitatis historiæ, monumenta, templa, libri et vitæ sanctorum, veterum Christianorum, nonne id tenuerunt, quomodo nos teneamus? Nonne sedem Romanam tamquam primam venerabantur, vota monastica observabant, et jejunia, missas dicebant, reliquias venerabantur, festis diebus sanctos honorabant, etc. ostendant hæretici ubi fuerint ante centum annos. Certe ante Lutherum et Calvinum nulli eorum prædecessores. Aliarum etiam hæresum ortus et interitus singulatim assignari potest. Quid? Quod etiam Lutherana secta tempore isto jam plane exaruit et in dies a Calvinismo devoratur? Et si nunc ab inferis rediret, periculum, ne neminem inveniret, qui eum amplius agnosceret; nec ipse sua dogmata reperiret.

Secundo, quia potestatem, quam habet ecclesiasticam, traditam sibi per manus apostolorum et horum discipulorum habere debet, eamque duplicem, ordinis et jurisdictionis. Ut enim in regno nemo pro legitimo iudice acceptatur, nisi vel ipse rex sit ad regnum legitime evectus, vel patentes et potestatem sibi a rege factam ad hoc, ut sit iudex exhibere possit: simili ratione papa, eo ipso quod legitime in supremum caput electus est, potestatem supremam immediate ab ipso Christo habet; a papa vero tamquam Petri successore episcopi; ab his velut a discipulis apostolorum parochi. Atque hæc est janua, per quam vult Dominus in evangelio ingredi ministros: alioqui minime audiendos, sed ut fures declinandos. Atque nonne in Ecclesia catholica